

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid IV.393-412

At pius Aenēās, quamquam lēnīre dolentem

sōlandō cupit et dictīs āvertere cūrās,

395 multa gemēns magnōque animum labefactus amōre

iussa tamen dīvūm exsequitur, classemque revīsit.

Tum vērō Teucri incumbunt et lītore celsās

dēdūcunt tōtō nāvēs. Natat ūncta carīna,

frudentēsque ferunt rōmōs et rōbora silvīs

400 īnfabricāta fugae studiō.

Migrantēs cernās tōtāque ex urbe ruentēs:

ac velut ingentem formīcae farris acervum

cum populant hiemis memoēs tēctōque repōnunt,

it nigrum campīs agmen praedamque per herbās

405 convectant calle angustō: pars grandia trūdunt

obnixae frūmenta umerīs, pars agmina cōgunt

castīgantque morās, opere omnis sēmita fervet.

Quis tibi tum, Dīdō, cernentī tālia sēnsus,

quōsve dabās gemitūs, cum lītora fervere lātē

410 prōspicerēs arce ex summā, tōtumque vidērēs

miscērī ante oculōs tantīs clāmōribus aequor!

Improbe Amor, quid nōn mortālia pectora cōgis?

Directions: Bring this to class. At home, reread what we did and finish the rest.

Aeneid IV.413-436

Īre iterum in lacrimās, iterum temptāre precandō
cōgitur et supplex animōs submittere amōrī,
415 nē quid inexpertum frūstrā moritūra relinquat.
“Anna, vidēs tōtō properārī lītore circum:
undique convēnēre; vocat iam carbasus aurās,
puppibus et laetī nautae imposuēre corōnās.
Hunc ego sī potuī tantum spērāre dolōrem,
420 et perferre, soror, poterō. Miserae hoc tamen ūnum
exsequere, Anna, mihi; sōlam nam perfīdus ille
tē colere, arcānōs etiam tibi crēdere sēnsūs;
sōla virī mollēs aditūs et tempora nōrās.
Ī, soror, atque hostem supplex adfāre superbum:
425 nōn ego cum Danaīs Troiānam excindere gentem
Aulide iūrāvī, classemve ad Pergama mīsī,
nec patris Anchīsae cinerēm mātēsve revellī:
cūr mea dicta neget dūrās dēmittere in aurēs.
Quō ruit? Extrēmum hoc miserae det mūnus amanti:
430 exspectet facilemque fugam ventōsque ferentēs.
Nōn iam coniugium antīquum, quod prōdidit, ōrō,
nec pulchrō ut Latiō careat rēgnumque relinquat:
tempus ināne petō, requiem spatiumque furōrī,
dum mea mē victam doceat fortūna dolēre.
435 Extrēmam hanc ōrō veniam (miserēre sorōris),
quam mihi cum dederit cumulātam morte remittam.”

Directions: Bring this to class. At home, reread what we did and finish the rest.

Aeneid IV.437-449

Aeneid IV.642-650

Tālibus ōrābat, tālēsque miserrima flētūs

fertque refertque soror. Sed nūllīs ille movētur

flētibus aut vōcēs ūllās tractābilis audit;

440 fāta obstant placidāsque virī deus obstruit aurēs.

Ac velut annōsō validam cum rōbore quercum

Alpīnī Boreae nunc hinc nunc flātibus illinc

ēruere inter sē certant; it strīdor, et altae

cōnsternunt terram concussō stīpite frondēs;

445 ipsa haeret scopulīs, et, quantum vertice ad aurās

aetheriās, tantum rādīce in Tartara tendit:

haud secus adsiduīs hinc atque hinc vōcibus hērōs

tunditur, et magnō persentit pectore cūrās;

mēns immōta manet, lacrimae volvuntur inānēs.

At trepida, et coeptīs immānibus effera Dīdō

sanguineam volvēns aciem, maculīsque trementēs

interfūsa genās et pallida morte futūrā,

645 interiōra domūs inrumpit līmina et altōs

cōnscendit furibunda rogōs ēnsemque reclūdit

Dardanium, nōn hōs quaesītum mūnus in ūsūs.

Hīc, postquam Īliacās vestēs nōtumque cubīle

cōnspexit, paulum lacrimīs et mente morāta

650 incubuitque torō dīxitque novissima verba: